



**D. DIONYSII || CARTHVSIANI, DE || DOCTRINA ET REGV-||lis  
vitae Christianæ**

**Dionysius <der Kartäuser>**

**Coloniae, 1577**

**VD16 D 1959**

Quid sit illud vnum, quod Christus Dominus, necessarium esse disseruit 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60177](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60177)

500 D. DIONYS. CARTH.

sine ter implorandus est Deus, quatenus gratiam suam menti nostræ infundat, eamque conseruet & augeat, & data quoque gratia diligentissimè custodienda, ne per inanem cordis effusionem dispereat, & negligentiae ac ingratitudinis anima rea fiat.

*Quid sit illud vnum, quod Christus  
Dominus necessarium esse  
differuit. Art. III.*

*Luc. 10.*

**Q**uod optimum est, & Deo amplius in nobis placens, hoc vtiique summè necessarium est. Quid autem sit hoc, si inquiras: respōsio diuersis modis, varijsque nominibus, reddi potest. Veruntamen in re ipsa vna est. Responderi quippe potest, quia charitas sit vnum, quod Saluator necessarium dixit. Rursus dici potest, quod puritas mentis, seu contemplatio Dei, sit hoc vnum. Sed omnia hęc rem vnam insinuant. Certum est enim id quod summa atque finalis animae perfectio est, id vnum esse quod necessarium est. Charitas autem, seu cordis mundicia, & contemplatio Dei, ultimata hominis pēfectio

fectio est. Vera nempe charitas passionum excessus excludit, & sine contemplatione dilecti esse nequit. Ideoque vnum quodque trium horum alia duo complectitur. Nuda enim & informis diuinorum agnitione, contemplatio dicenda non est: sed agnitione charitate formata, & cum affectu inflammans, ipsa est contemplatio. Sic ergo charitas contemplationem, & contemplatio charitatem complectitur: neque possibile est, vnum sine altero esse. Sed nec possibile est, aliquod horum adesse, si non fuerit mens ipsa à passionibus inordinatis expers, & à peccato immunis; non sic ut omnes passiones prorsus euicerit, & ab omni culpa libera sit: sed quoniam quo passiones magis refrenat & ab omni offensa sollicitius cauet: eo dilectioni & contemplationi aptior fiat. Porro si in mortali peccato sit, & passionib⁹ seruiat: neque contemplatur, nec diligit, quia in gratia non est, sine qua nec contemplatio nec dilectio adest. Itaque hoc vnum quod necessarium est, existimet virtutum zelator, non aliud esse, quam cordis mundiciam. Sed & Deus, qui omnis boni principium est

&amp;

302 D. DIONYS. CARTH.

& finis, hoc vnum quod necessarium est ritè censetur tanquam obiectale bonum. Cordis vero mūdicia, vt formalis perfectio, & intrinsecus finis, per quem Deo anima vnitur, adh̄eret & in immenso æternoque bono contenta redditur atque quiescit, segregata à multis, & in vno confixa.

*Quod vniuersa mentis nostra intentio, atque propositum, in consideratione ac desiderio huius vnius figi debeat. articulus IIII.*

 **S**oniam igitur mens humana secundum naturam tam mobilis est, atque instabilis: à contemplatione & amore huius vnius, quod necessarium est, subito cadit, nec in eōdiu fixa existit. Propterea id ei optimum est, si in vnostabiliri debet, vt hoc vnum firmiter ac indelebiliter cordi atque affectui suo imprimat, & ad ipsum cuncta, quæ agit & patitur, referat,

&